



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 10. Literæ Navarræ Regis pro impendia hac pace.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](#)

tes sequentes, nimirum Catalaunum, Sæcul. XVI.  
& oppidum Desiderii in Campania, Au- A.C. 1585  
gusta Suectionum in Franciæ peninsula,  
Durocortorum Ithemorum in Veroman-  
duis, in Morinis Spiritus-Fanum, Di-  
nanum, & Concha in Armorica, in  
Burgundia Divionis arx, & oppidum,  
castrum item Belnense, in Sclabis Vi-  
rodunum, & Tullum in Leucis: præ-  
terea Rex Borbonio, & Guisio Cardi-  
nalibus, necnon singulis Lotharingicæ  
Domus Principibus spondebat, quod  
eis pro satellitio cataphractorum equi-  
tum centuriam adjungere, necnon cen-  
tum aureorum millia pro construenda  
Virodunensi arce, ac bis centies mille  
aureos ad solvendum exteriorem mili-  
tem in Germania a Guisio Duce conscri-  
ptum erogare velit: insuper sponde-  
bat, quod eos absolvat a reddenda omni  
pecunia, quam a Provinciis per va-  
rias exactiones ex ærario regio rece-  
perunt.

### §. X.

#### *Literæ Navarræ Regis pro impedien- da hac pace.*

Quamprimum hujus pacificationis fa- *Thu. & Da-*  
ma increbuerat, mox Navarræ *vid. l. c.*  
Rex Neraco ad Henricum Regem lite- *Mem. de la*  
ras dabat, quibus eundem ab exequen- *Ligue p.*  
dis hujus concordiæ pactis absterre- 278.

R 5

molie-

Sæcul.XVI moliebatur, hæc eidem exponens:  
A.C.1585.

„Soli suæ ambitioni satisfacere Guisiani  
„ni quærunt, religionis autem prætextu utuntur, ut ferro, & igni omnia  
„misceant, ac seditiosa sua consilia ocultent: re enim ipsa bellum pararunt,  
„ut Regem, ac Regnum perditum irent,  
„utpote tam Regis, quam Regni hostes: nam si me solum peterent, quam  
„quam dignitate longe superior rem duelli aleæ, ut Rex pacem habeat,  
„& populus ab omni injuria prohibetur, permissem, ac re ipsa duellum  
„illis hominibus, quos Rex perduelles  
„nuper declaraverat, detuli, & Regis obsequio, ac charitati patriæ, cu-  
„jus calamitates ex hoc bello secuturas  
„sanguine meo luere opto, decus, ac  
„vitam propriam posthabere statui,  
„quarum nihilominus conditionum si  
„nulla ratio habeatur, ac Rex cum  
„perduellibus in caput meum conjura-  
„re, & contra Galliam, contra suos,  
„contra seipsum Guisianorum violentia  
„coactus bellum decernat, tunc unum  
„hoc mihi supererit, ut Regis, qui mea  
„fidelis opera uti noluit, conditionem, &  
„regni calamitatem, cuius non aliud  
„exitum, quam ipsum exitium video,  
„veris lacrimis deplorem, ac interim  
„ex fidei conscientia, atque innocentia  
„mea solatium mihi quæram, & cau-

,sæ

„sæ justæ confisus, cuius defensorem **Sæcul. XVI.**  
 „Deum spero, me animis, & viribus **A.C. 1585.**  
 „adversus meos, & Regis, regnique  
 „hostes muniam.,,

## §. XI.

*Navarræ Regis, Condæi Principis,  
 & Montmorentii Ducis scri-  
 ptum.*

**R**ebus jamjam plane confectis tardius *Thuan. &c.*  
 hæ literæ advenerant: unde Na- *Spond. l.c.*  
 varræ Rex paſtis jam postremam ma- *David. ib.*  
 num esse admotam comperiens, cum *Mem. pag.*  
**292.**  
 Condæo Principe conjurabat, atque ad  
 sua etiam studia Henricum Montmoren-  
 tium Ducem, Occidaniæ Gubernato-  
 rem, pertrahebat: igitur hi tres die de-  
 cima Augusti scriptum quoddam con-  
 farcinantes illud promulgarunt, in quo  
 trium horum Auctorum nomine refri-  
 cabatur memoria omnium conjuratio-  
 num, quas Lotharingii, seu Guisi a tem-  
 pore Francisci II. ad invadendam sum-  
 mam potentiam, turbandam Regni  
 quietem, & regii sanquinis Principes  
 per calumnias, & falsas criminationes de  
 medio tollendos iniissent, postea autem  
 dissidia ab iis excitata recensebant, nec-  
 non unde fuerint exorta, quemque suc-  
 cessum tulerint, demonstrabant, mul-  
 taque in invidiam Guisorum adde-  
 bant, ut ostenderent, quibus artibus.

sc